

IV.

Observationum exegeticarum, ad illustrandam legem MATTHIAE ad positarum, specimina: nec non, de collisione statutorum, ratione successionis in bona absentium, nonnulla.

Non est tam pervia atque luculenta Matthiana constitutio, ut nulla egeat interpretatione, aut illustratione. Quod ipsum, lectis iis, quae deinceps sum dicturus, liquido, ut puto, adparebit. Placet igitur, si qua inesse videantur dubia, ea certa interpretatione, quantum eius fieri poterit, tollere, atque hoc capite id, ut de sententia legis perspicue constet, notatis simul iudiciorum patrimonium moribus, agere.

Michael Gehler, atque Balthasar Schuberth, cives urbis Gorlicensis, hereditatis petitione instituta, vindicaverant, ille quidem, Wilhelm Tybleri, hic Eliae Wünschii, diu absentium et ob diuturnam absentiam XXX. annis, anno et die longiorem, pro mortuis habendorum, bona veluti hereditaria. In re incerta, iustissimam enim